



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

Cui conuenia[n]t Ideae. C. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

cibilium; ut manifestetur, quorum Ideæ sint
qua de re infra agam. Additur, in diuina men-
te: quia, quamvis in vniuersa mentium latitu-
dine locum habeant Ideæ; attamen propriæ,
& primò menti non participatæ conueniunt:
aliis secundariò, & per primam. Deinum ex-
plicantur duo præcipua munera Idearum:
quorum primum est, ut sint intelligibilia pri-
mæ mentis, eiusque cognitio: Aliud est ex-
terna productio, à quibus duobus muniberibus
reliqua omnia proficiscuntur, vel cum eis
iunguntur.

Cui conueniant Ideæ.

CAP. IV.

 Voniam Idea est pura essentia, & for-
ma, quæ verè intelligibile esse dici-
tur; propterea in mente, cuius mu-
nus est intelligere, debet reperiri; &
iure quidem: nam mens, quæ eminentissima
est, non cum receptione, & per pessione: quæ
diminutionem præferunt, intelligere debet;
sed per essētiālē propriam, & per sui in se met-
ipsam conuersionem: adeò, ut in abiunctis idē
sit intelligens, & intelligibile. In vniuersa lati-
tudine mentium inueniuntur Ideæ, seruantes
nōmen, & conditiones Idearum: hæc tamen
est differentia, quod Ideæ in prima mente di-
cuntur non participatæ, in aliis participatæ;
nam participantur ab anima, sine qua huius-
modi mentes non periuntur. Insuper, Ideæ

F 5

in primā mente solūm pendent à Deo; in subsequentibus verò pendent à mente prima, & ab Ideis in ea existentibus. Deīnum in prima mente Ideæ minūs sunt inter se distinctæ, in aliis distinguuntur magis, ob nexus in earum cum anima. Diffunduntur Ideæ à prima mente in alias, vt à Sole radij in alias stellas: ac etiā vt à Sole per radios effunditur vis illustrandi, calefaciendi, cæteraque gignendi, quæ à Sole per lumen fieri dicuntur; ita à non participata mente per Ideas effunditur vis, & facultas in aliarum mentium Ideas consimilia præducendi. Et cùm in singulis mētibus insint Ideæ omnes, in singulis etiam inuenietur mundus intelligibilis; adeò, quod tot intelligibiles mundi ex Ideis consurgunt, quot sunt mentes. Extraterinos mētis, nō amplius propriè sumpta Idea locū habet; sed dum à mente descendimus ad animam, Ideæ in rationes commutantur: nam verè anima est ea, quæ rationis est compos, quæ rationum munere ratiocinatur: & ea, quæ mens simul, & individuè apprehendit; anima cognoscit cum distinctione, & progressu ex uno in aliud: cùm tamen anima redditur compos mentis, ad Ideas consurgit: & cum eis necritur, & coniungitur. Sub anima collocatur natura: & quia natura pendet ab anima; ideo in natura reperiuntur vestigia rationum, quæ semina nuncupantur, per quæ proximè gignuntur corporea, in materia in cludentia: in qua deīnum materia ea, quæ ex semin-

seminibus gignuntur, Ideisque proportiones respondent, nuncupantur imitationes, participationes, proximi materiæ termini, ac demum vmbrae Idearū. Et quoniam nos in hoc quasi terræ antro sumus collocati, in quo solæ volitant vmbrae rerum; cùm ea, quæ verè sunt, non cōspiciamus, has vmbras magnificimus, hæc verè entia existimamus. Quòd si nobis fœlici sorte contingat, ut munere Philosophiæ caput animæ supra has tenebras eleuemus; tunc has quasi laruas despicientes, eam solam verè vitam iudicabimus, quæ à crasso hoc corpore soluta est; tunc cum Propheta exultantes clamabimus; Dies vnum in atriis tuis Domine, plusquam mille aliorum anni. ¶

Quomodo in mente se habeant, & consurgant Ideæ.

CAP. V.

SN ordine vniuersi finis est ipsum vnum, quod supremū est; sub quo fine caussa efficiens collocatur. Et quoniam exemplar dirigit artificē ad finem; propterea Idea mediare dicitur inter finem, & opificem; est eminentior opifice, humilior fine; & conuenienter dici potest sapientia opificis, rectaque ratio eius, per quam efficit opus suo fini congruens. Consideratur opifex in primo signo, ut essentia est: mox consideratur, ut cuncta intelligens, & producere volens, in quo secundo signo cōsurgunt Ideæ.